Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Crlj 150

meo et possit eum male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calice aquae frigidae in nomine meo quia Xpi estis. Amen dico vobis non perdet mercedem suam. Et quicumque scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me bonum est ei magis si circumponatur mola asinaria collo eius et in mare mittatur. Et si scandalizaverit te manus tua abscide eam. Bonum est tibi debilem introire in vitam quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur. Et si pes tuus scandalizat te amputa illum. Bonum est tibi claudum introire in vitam eternam quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur. Et si oculus tuus scandalizat te erue eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur. Secunda vj. Ad hebreos. x.

Fratres. Videte ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a deo vivo sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies ut non obduretur quis in vobis fallacia peccati. Participes enim xpi effecti sumus si tamen initium substantiae usque ad finem firmum retinemus. In xpo ihesu domino nostro.

Nullo t. Dicit S. matheum. xxiii. Ihesus turbis iudaeorum et principibus sacerdotum. Ve vobis scribae et phyisei ypocrite quia claudetis regnum celorum ante homines. Vos autem non intrastis nec introeuntes sinitis intrare. Ve vobis scribae et phyisei ypocrite qui comeditis domos viduarum orationes longas orantes propter hoc amplius accipietis iudicium. Ve vobis scribae et phyisei ypocrite qui circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum et cum factus fuerit facitis eum filium gehenne duplo quam vos. Ve vobis duces caeci qui dicitis quicumque iuraverit per templum nihil est, qui autem iuraverit in auro templi debet. Stulti et caeci quid enim maius est aurum, an templum quod sanctificat aurum. Et quicumque iuraverit in altari nihil est, qui autem iuraverit in dono quod est super illud debitor est. Caeci quid enim maius est donum, an altare quod sanctificat donum. Qui ergo iurat in altari iurat in eo et in omnibus quae super